

putas: par omnibus, et hoc tantum ceteris major, quo melior.

XXII. Ac primum, qui dies ille, quo exspectatus desideratusque urbem tuam ingressus es? Jam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque? Nam priores invehiri et importari solebant: non dico quadrijugo curru, et albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat; tu sola corporis proceritate elatior aliis et excelsior, non de patientia nostra quemdam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque, prorepere. Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto: alii nunc magis esse vivendum praedicabant. Feminas etiam tunc foecunditatis suae maxima voluptas subiit, quam cernerent, cui principi cives, cui imperatori milites peperrissent. Videres reserta tecta ac laborantia, ac ne cum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium caperet. Oppletas undique vias, angustumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium paremque clamorem. Tam aequaliter ab omnibus ex adventu tuo laetitia percepta est, quam omnibus venisti: quae tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adacta est.

XXIII. Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras: gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares: gratum, quod tantum non ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes: gratius tamen, quod sensim et placide, et quantum respectantium turba pateretur, incederes, quod occursantium populus te quoque, te, immo maxime, adstaret: quod primo statim die latus tuum crederes omnibus, neque enim stipatus satellitum manu, se labyrinthus undique, nunc senatus, nunc equestris or-